

BEATVS A RIEPVRG PRAEFECTVS CVRIAЕ BA-  
densis.



Beatus ex antiquissima & nobili familia Rie-  
purgiorum natus est in Marchionatu Badensi,  
anno circiter 1525. patrem is habuit eiusdem nomi-  
nis Beatū, qui apud illustriss. Marchiones Baden-  
ses honesta officia gesit, atq; suis consilijs & uirtu-  
tibus cunctis bonis gratissimus fuit. Itaq; ab eo pa-  
tre Beatus optimè educatus, atq; singulari pietate  
institutus fuit. Postea quoq; cum felici ingenio es-  
set præditus, unā cum fratribus suis operam literis  
dedit, atq; prima rudimenta in patria facile didicit.  
Inde literarum & uirtutis amore exteris quoq; na-  
tiones, & Louaniensem Academiam inuisit, atq;  
artibus & linguis præclaram operā nauauit. quin  
etiam armorum studia excoluit, atq; rei bellicæ sibi magnum usum compara-  
uit. Hoc modo multis animi & corporis uirtutibus instructus in patriā redijt,  
atq; sese Pfortzhemium ad Marchionum Badensium curiam contulit.